De Zostere.

Dissertatio inauguralis,

quam

consensu Illustris Medicorum Ordinis

pro summis in Medicina et Chirurgia honoribus

legitime impetrandis

die XX/ Februarii MDCCCXXI

publice defendet

Joannes Fridericus Beeck,

Fridericostadiensis.

Kiliae

ex officina C. F. Mohr.

Est quoddam exanthematum genus, quod Zoster *) appellatur, de quo diversorum temporum medici, quod ad diagnosin, prognosin, tractandique ejus rationem attinet, adeo inter se discrepant, ut haud parum amoenitatis me percepturum fore putarim, si ex variis descriptionibus componerem, quid tandem proprium Zosteri, quis ejus sit character, et quo modo a propinquorum et affinium morborum statu distingueretur. Difficultates, quae immensae emergentes, et partim inexsuperabiles obsistebant, intelligere me faciunt, quam mancum sit opusculum hoc meum, quamque parum justo tantummodo, ne dicam severo, satisfacere possit judici, quod sane proferre non auderem, nisi fretus indulgentia et humanitate Vestra, viri doctissimi, qui estis ex amplissimo Kiliensi medicorum ordine: Vestro examini illud submittere haud me poeniteat!

In paucis medicorum scriptis Zosterem pertractatum inveni, et inprimis veteres de eo errasse videntur, ut qui morbum sui generis illum esse non crederent. Libri, quibus ad hanc dissertationem

*) The Shingles *Angl.* — Ceinture dartreuse *Gall.* — Cintola erpetica *Itall.* — Cintura herpitica *Hisp.* — Fogo de S. Marcal *Lusit.* — Roode omloop *Belg.* — Natild *Danic.* — Rother Umlauf *Germ.*

inauguralem usus sum, quorumque non magnus est numerus, sunt hi:

Plinii historia naturalis. Lib. 26. *Cap.* 11. *Berol.* 1766.

Corn. Celsus de medicina. Lib. 5. *Cap.* 28. *Biponti* 1786.

Joann. Langii epistolae medic. Lib. 1. *Epist.* 32. *Frankof.* 1589,

Nicol. Tulpii observat. medic. Lib. 3. *Cap.* 44. *Amstelred.* 1652.

Frid. Hoffmanni opera omnia. Tom. 4. *Pars* 1. *Sect.* 1. *Cap.* 13. *Genev.* 1748.

De Haen Theses de febribus. Divisio 6. *Paragr.* 8. *p.* 3.

Rud. Augustin Vogel praelectiones de cognoscendis et curandis corporis humani affectibus. p. 198. *Goett.* 1772.

Lorry's Abhandl. von den Krankheiten der Haut, aus dem Latein. übersetzt von Held. Erster Th. 2*ter Abschnitt,* 2*ter Artikel. Leipzig* 1779.

Sam. Gottl. Vogel's Handbuch der prakt. Arzeneiwissenschaft. 3*ter Theil. Stendal* 1788.

Jo. Bapt. Burserii de Kanilfeld institut. medic. pract. Vol. 2. *Mediolani* 1785.

Sprengel's Handbuch der Pathologie. Band 2. *p.* 490. *Lpz.* 1795.

Selle medicina clinica. p. 88. *Berol.* 1781.

Reil memorabilia clinica. Fasc. 2. *p.* 145. *Halae* 1790.

Joann. Pet. Frank de curandis hominum morbis epitome. Lib. 2. *Mannhemii* 1792.

Wichmann's Ideen zur Diagnostik. Erster Band. Wien 1798.

Stark's Handbuch zur Erkenntnifs und Heilung innerer Krankh. des menschl. Körpers. Jena 1799.

Schmalz Versuch einer medic. chirurg. Diagnostik. Tab. LXX. Dresden 1808.

Henke's Handbuch der speciellen Pathologie. Erster Band. S. 324. *Berlin* 1808.

Reil über die Erkenntnifs und Cur der Fieber. Fünfter Band. Halle 1815.

Vogel in Loders Journal für Chirurgie. Zweiter Band. S. 241.

Brechtfeldius in actis Hafniensibus ann. 1671 *et* 1672. *CVIII.*

Non alienum esse a proposito puto, si prius breviter indicem, quomodo auctorum meorum nonnulli de hoc morbo, ad quem describendum accingor, disseruerint.

Plinius raris quidem verbis, primus Zosterem memorat, ut sacri ignis speciem, qui medium hominem ambiens mortem adlaturus sit, si cinxerit. Neque plura addit.

Celsus duo genera ignis sacri describit, eaque malis ulceribus adnumerans. Alterum est subrubicundum, aut mixtum rubore atque pallore, exasperatumque per pustulas continuas, quarum nulla altera major est, sed plurimae perexiguae. In his semper fere pus, et saepe rubor cum calore est, serpitque hoc nonnunquam, dum partes antea aegrotantes sanescunt, nonnunquam vero transeunt in exulcerationem, ubi pustulae rumpunt, suppuratio perdurat, humorque profluit, qui medium inter saniem et pus tenere videtur. Alterum autem est in summae cutis exulceratione, sed sine altitudine, latum, sublividum, inaequaliter tamen, mediumque sanescit, extremis procedentibus, ac saepe id, quod jam sanum videbatur, iterum exulceratur. At circa proxima cutis, quae vitium receptura est, tumidior et durior, coloremque habet ex rubro subnigrum.

Atque hoc quoque malo fere corpora seniora tentantur, aut quae mali habitus sunt; sed in cruribus maxime.

Perniciosissimam erysipelatis speciem *Langius* describit Zonam, de qua: merito, inquit, a Cingulo ζωςὴρ appellatur, quoniam ob nimiam febre continua effervescentis cholerae copiam inflammatione a lumbis, umbilico et testiculorum osseo usque ad genua hominem cingit, sepit et circumdat. Duo recenset casus, quorum alter, ex ulcere cruris intempestive a chirurgo quodam consolidato exortus, quod idem chirurgus, ne quid ad ulcus efflueret, fascia arctissime strinxerat, interitum attulit; alter vero, in quo aeger eodem erysipelatis Zostere a lumbis ad genua usque circumdatus erat, ac febre continua ad delirium usque aestuabat, incisa utriusque pedis saphena, adhibitis quoque quae febrem restinguerent, in bonum declinavit eventum.

Tulpius, qui herpetis praecordia exedentis nomine commemorat Zosterem, hoc ipso nomine, quam exitiosus hicce morbus sibi videatur, jam satis indicat. Pestilentiae sororem illud herpetis genus appellat. Constat, inquit, herpes praecordia exedens ex pluribus pustulis, modo in unum conglomeratis, modo evidenter sejugatis. Haerent autem illae in extimo diaphragmatis ambitu, inflammantes non tantum, sed exedentes, ardore suo, usque eo cutem; ut cuilibet ulcusculo sua insideat eschara. Qua vel sponte, vel arte, decidente, imminuitur manifeste non minus exurens dolor, quam molestus ille pruritus, qui pustulas hasce assiduo comitatur. — Ceterum hoc malum non nisi admodum raro credit lethale.

Lethalem observavit Zosterem *Brechtfeldius.* Corripiebatur, refert, honesta matrona, jurium practici vidua, eodem Zostere; quem cum prae pudore dissimularet, et tibiam saltem eodem igne inflammatam et exulceratam chirurgo tractandam exhiberet, accidit ut, altero illo subito invalescente et in gangraenam desinente, aegra praeter spem placide exspiraret, paulo ante mortem et superioris illius inspiciendi copiam faciens; deprehendi autem illum inferiorem ventrem tam accurate circumdedisse, ut cingulum fuscum palmam latum examussim referret.

Frid. Hoffmannus, qui pluribus operum suorum locis mentionem facit hujusmodi morbi, modo peculiarem erysipelatis speciem, modo herpetem illum appellat. Quando autem, inquit, herpes mali moris pectus speciatim| et praecordia occupat, cum cardialgia, calore praeternaturali, pruritu cutis, inflammatione et dolorifica exulceratione, pustulisque parvis et lucidis instar cinguli ad manus latitudinem in pectore dispersis, adfectus vocatur Zona ignea.

Haenius, qui apud Batavos frequenter hujusmodi morbum viderat, semel etiam in sola facie eum observavit: vir odontalgiam passus, dentem sibi evelli curat; unde dolore curabatur quidem, sed vacuo in maxilla loco molestum sibi aëris conquerebatur ingressum. Hoc totum quod anamnesis docebat. Oritur posthac ipsi media in fronte tuberculum, triduoque post febris horrifica cum tumore sinistrae frontis, palpebrarum, genaeque ejusdem lateris; tumque pustulae, cito admodum grandescentes, dolentesque,

variolis discretis majoribus persimiles sed altiores, et racematim uno in loco secum cohaerentes, omnia loca dicta exacte implent, sed ultra mediam faciei lineam minime excurrunt.

Duas Zonae species *Rud. Aug. Vogelius* in medium profert, quarum altera, gravior, gangraena accedente, nonnunquam necat; altera vero parvam occupat aream, floreni simplicis aut duplicati, nec febrem vehementem conjunctam habet. Id malum nunquam exitiosum est, licet ob ardentem dolorem, qui nec somnum capere, nec locum adfectum contingere sinit, valde molestum sit.

Nec minus in duas species *Lorrius* hocce ignis sacri genus dividit, quarum alteram comitantur phlyctaenae, alteram non.

Egregia de Zostere commentatione *Burserius* nos donavit, qui primus tanquam sui generis morbum hoc malum sistit, tum ab erysipelate, tum ab herpete signis characteristicis distinguens, quorum postea mentionem facere non deero.

Samuel. Gottl. Vogelius id tantum erysipelas Zonam appellari vult, quod vere cinguli instar ventrem cingit, reliqua genera, quae urunt, vesiculis insidentur et omnem corporis partem occupant, ignem sancti Antonii vocari.

P. Frankius, qui, quid ipse sentiat de hoc morbo, non disserit, nisi quod peculiare erysipelatis genus appellat, quatuor casus refert, qui soli ei, cum plurimos aegros tractaret, obvenerint.

Simillime et eodem fere modo *Starkius* et *Reilius* nonnullique alii de Zostere loquuntur, quem erysipelati quidem affinem, non vero parem existimant. Paucis itaque, quid antiqui et novi tem-

poris medici nonnulli generaliter de Zostere censuerint, praemissis, transimus nunc ad accuratiorem morbi descriptionem.

Zoster, sive Zona, exanthema est vesiculosum, quod cutem tantum, nunquam interiores partes afficit, atque si raros casus excipias, dimidium solum corpus occupat, ita ut neque lineam albam neque spinam dorsi transgrediatur. Eruptionem plerumque aliqua febris antecedit, plus minusve vehemens, nonnunquam tam mitis, ut vesperi tantum adveniat, somnum interpellet, mane cedat; sed interdum gravibus stipatur symptomatibus uti agrypnia, delirio, anxietate, inquietudine, corporis jactatione, vomitu aliisque eruptionum febrilium phaenomenis. Si febris vascularis praecedit, eruptione facta, quod secundo vel tertio die contingere consuevit, statim evanescere solet, nisi, quod rarissime accidit, morbi intentio, inflammatoria sanguinis diathesis, vel aliae fortuitae caussae febrem sustineant. Sed et si exanthema febris vascularis haud comitatur, compluribus ante diebus aegri queruntur, se male pati: uri, pungi et dolere ibi cutem sentiunt, ubi exanthema erupturum est. Qui prodromi per triduum fere adsunt et nunquam desunt.

Erumpunt jam in subrubicunda, nitente et pruritu doloreque affecta cute parvae, elevatae, rubrae, variolis nonnunquam simillimae, pustulae, circulum inflammatum habentes, partim discretae, partim in corymbos collectae, et phlyctaenas repraesentantes, plus minusve copiosae, interdum intolerabili dolore vehementissimoque ardore comitante. Sunt forma globosa vel lenticulari, lentisque magnitudine, discretae; erumpunt autem in insulas vel

racemos, in quibus pustulae prope sibi adstant. Ubi racemus talis oriturus est, plerumque rubicunda macula exsistit, in qua sensim sensimque pustulae nascuntur. Racemorum magnitudo, a terno vicenarium numerum excedentium, varia est, cum floreni tum palmae. Forma plus minus rotunda est, nonnunquam ovata vel etiam angulata. Confluunt interdum complures, saepius vero discreti sedent, cute intermedia non affecta, cui tantum passim pustulae eruptae insident, tanquam a grege separatae. Singulae pustulae, quae insulas aut racemos conficiunt, discretae fere sunt, raroque plures in unum confluunt. Suam habet quaeque pustula aream, inflammationem in rete vasculari subcutaneo: quae plurium pustularum areae confluunt, insulasque efficientes nonnullorum digitorum transversorum vel palmae latitudine, instar cinguli corpus circumdant.

Paulatim crescunt pustulae et in apicibus formant vesiculas, aqua pellucida plenas, et transparentes, quales aqua fervens excitat. Nonnullae earum statim ab initio nigrescunt, fortasse a sanguini extravasato, lymphae commixto. Sensim lympha turbida fit, densior evadit, disceditque in pellucidam, quae est summa, et infra in turbidam, subflavam et glutinosam materiem. Decrescente pellucida materie, obscurior fit vesicula. Aliae exsiccantur sine eruptione, fuscam cuti inhaerentem escharam relinquentes, aliae post aliquot dies erumpunt, epidermis in plicas concidit, cum lympha extravasata crustam efficiens, quae post decidit.

Nonnunquam pustulae suppurationem subeunt, et sponte aperiuntur, manentque apertae, cavae, pus fundentes triduo, quatri-

duo, imo quandoque ad dies usque quatuordecim, donec tandem pus laudabile secernatur et crusta nascatur, quae ut squama decidit; rarius ulcuscula livida fiunt et nigrescentes, quasi in gangraenam transitura. Saepe abscessus profundam cicatricem in cute relinquunt ut variolae malignae. Nonnunquam dolor quatuordecim post dies demum remittit, evanescitque interdum non plane, etsi exsiccatio et desquamatio penitus transiere.

Pustulae, ut variolae, non sensim sed subito erumpunt, sed hoc ad unam eandemque insulam tantum referendum est, nam diversi racemi successive oriuntur; raro vel secundo et tertio die novae insulae erumpunt, aut singulae, quae ab iis separatae sunt, pustulae.

Quod ad sedem morbi attinet, valde est varia. Plerique eam inter praecordia et umbilicum, alii supra umbilicum viderunt, ita ut mediam corporis partem a praecordiorum regione versus dorsum circumdaret; alii ab umbilico usque ad genua cutem in hoc affectu per pustulas lividas exasperari, rubere et multum rodi docent. Saepe et in crure, in brachio et in scapula, immo vel in capite eam observaverunt. Semper, *Haenius* ait, cui omnes fere adsentiunt, Zoster est morbus dimidiatus, qui antrorsus lineam albam, retrorsus spinam dorsi nunquam transgreditur. Sed tamen extra eum, qui in actis Hafniensibus relatus est, alius, illi non plane dissimilis casus a celeberrimo nostrae Academiae professore *Fr. Webero* observatus est, in quo exanthema manus latitudine a dorso remotum incipiebat, dextram foveam axillarem transiens versus pectus transque sternum, sinistram foveam axillarem ad dorsi spinam vergebat,

qua etiam in sinistro latere palmae latitudine remotum manebat. Sed rarissime certo hic casus, et plerumque unum tantummodo corporis latus afficitur, sicuti unus humerus, unum crus.

Zoster est morbus acutus, qui quatuordecim dies, raro plus quam quatuor septimanas durat. Decursum ejus in quinque stadia partiri licet, quorum primum s. prodomorum, febrem aut alios prodromos complectitur. — Stadium secundum, s. incrementi, cum rubescente cute incipit, pustularum eruptione finitur. — Stadium tertium, s. efflorescentiae, ad lympham in vesiculis lutescentem pergit. — Stadium quartum, s. exsiccationis, id tempus continet, quo lympha densatur in crustam. — Stadium quintum, s. reconvalescentiae, a crustarum decessione ad perfectam valetudinem porrigitur.

Zoster nunquam fere est chronicus, vel etiam in rarissimis casibus, ubi ulcuscula sunt malignissima, et valde ad gangraenam inclinant. *Lorrius* epidemice eum vidisse se ait. Dubitaverim autem eum, quem opinatur, morbum vere Zonam fuisse, ut mihi ex descriptione ejus videtur. Nam: pustulae, ait, non simul oriebantur, sed sensim sensimque, quibus exsiccatis aliae latius diffusae emergebant, quod malum plures menses perdurabat. In omnibus vero, quae de Zona exstant, scriptis auctores consentire in eo videmus, quod pustulae nunquam paulatim, sed, ut variolae, simul erumpant.

Ad quam morbi pro viribus qualibuscumque a me quam accuratissime elaboratam descriptionem addere liceat mihi unam aliamve morbi historiam, quam depictam in clarorum virorum scriptis reperimus, ad illustrandam, puto, hujus mali diagnosin.

Tulpius quae sequuntur:

Vir pleni habitus, et calidi jecinoris vehementer circa praecordia doluit cum acri pruritu, insigni dolore, et frequentibus pustularum conglomeratarum circulis, primum rubris, mox albicantibus, et comparente in qualibet earum crusta nigra, qua convenienti litu separata, quaelibet degeneravit in humidum ulcusculum cum acri dolore, sudore effuso, et interdum tam impetuoso virulentae materiae raptu ad interiora, ut animus non secus aliquoties deficeret, ac si ipsum occupasset contagiosa aliqua pestilentia.

Frid. Hoffmannus: professor celeberrimus, quinquaginta et aliquot annorum, purpura scorbutica crebrius afflictus, post corporis intensam refrigerationem, corripiebatur subito languore virium, inquietudine, somni appetitusque defectu, horripilatione, aestu, cui juncta quaedam mentis turbatio. Durabant haec per tres fere dies, quibus elapsis, nocte antecedenti sensit intolorandum plane ardorem in praecordiali regione ad dorsum usque excurrentem; mane autem, inspecto loco dolente, insolitum comparuit exanthema, rubicunda nempe area, ex praecordiis ad dorsum cinguli instar extensa, cui insidebant confertim pustulae partim albae, partim rubrae nigrescentes. Inde quidem symptomata remiserunt, excepto exquisito ardente dolore, qui tantus erat ut nec somnum capere nec locum affectum contingere posset. Medici, quorum consilio utebatur, quid hoc rei, nesciebant, et purpurae peculiare genus, aut scorbuticum quoddam exanthema esse volebant. Ego vero illico cognovi pejorem erysipelatis speciem, et interne diaphoretica temperata, et externe in fine oleum ovorum adhibui, quibus

aliquamdiu usurpatis, intra quatuordecim dies dolor conquievit, pustulae aruerunt, cuticula aspera facta, fissa et desquamata.

Quomodo differat Zona ab aliis nonnullis morbis, quibus confunditur.

Saepissime sane erysipelati Zoster adnumeratur, quocum eximia ei similitudo intercedit. Disquirenti autem accuratius haec duo morborum genera, comparantique erysipelas vesiculosum cum Zostere, varia occurrent, quibus notanter distinguuntur.

a) Abest a Zostere peculiaris erysipelatis character, diffusus scilicet rubor, durities et tumor in tota superficie, ubi hoc exanthema nascitur.

b) Coarctatus est Zoster in eum tantum locum, ubi primo apparet, in unum ventris vel pectoris latus cet.; erysipelas paulatim prorepit, totam interdum faciem occupat, ipsamque comatam capitis partem.

c) In Zostere parvi abscessus sunt principale phaenomenon, ineunte statim morbo comparentes, cum in erysipelate vesiculoso sensim sensimque in morbi decursu emergunt.

d) Vesiculae flavae, discretae, vel passim cohaerentes, in Zostere marginem rubrum et inflammatorium rubramque basin habent; non adeo ultra superficiem cutis se elevant nec unquam tantas tamque confluentes et conspicuas vesicas quam erysipelas vesiculosum proferunt, sed complurium pustularum insulas, quae non, ut in erysipelate

vesiculoso, communi rubore et cutis intentione cohaerent, verum in interstitiis, quae inter diversas insulas, vel racemos intersunt, basis habet naturalem cutis colorem. Nec impressus digitus sicut in erysipelate albam relinquit maculam.

e) In erysipelate vesiculoso rumpitur postremo tota partis affectae epidermis, cum in Zostere paulatim singulatimque pustulae crustam satis duram et rubro-nigrescentem gignunt, sicut variolae, ipsaeque diu remanentes maculae his variolarum simillimae sunt.

f) Erysipelatis sedes intra summam cutem consistit, Zonae vero profundior est locus, neque enim solum universa cutis, sed etiam subjectus panniculus adiposus certo afficitur, inflammatur et suppuratur.

g) In erysipelate biliosum characterem febris saepe assumit, quem in febre Zosterem comitante haud facile reperias.

h) Maximi momenti ad diagnosin hujus exanthematis hoc est, quod semper alterum tantum corporis latus afficiat. Praeter illos duos, quos supra adduximus, casus in medicorum scriptis alium reperimus nullum.

Pemphigus, quamquam multo minus quam erysipelas Zosteri affinis, passim tamen pro eo habitus est, imprimisque celeberrimus *Reilius* errare videtur, cum in praestantissimo opere »Ueber die Erkenntniſs und Cur der Fieber" quatuor casus, quos in Memora-

bilibus suis clinicis pemphigi nomine descripsit, Zosteri attribuit. Non inutile esse igitur existimo hic item discrimina enumerare.

a) Conveniunt Zoster et pemphigus quidem, quod sint elevationes in cute et vesiculae, quae humorem contineant; sed vesiculae in pemphigo majores sunt et latiores, in Zostere plerumque parvae et rotundae.

b) Zosteris vesiculae subflavam, corrosivam et acrem materiem, pemphigi contra claram, pellucidam, magis aquosam, temporis demum diuturnitate aliquid acrescentem humorem continent.

c) Pemphigi vesiculae ubique exsistunt a planta pedis usque ad verticem ipsisque in labiis, in cavo oris, in gingiva, dum Zona unum corporis latus non excedit.

d) In Zona exanthema sensim exsiccatur, crustam efficit cet.; in pemphigo vesicula crustam non producit, sed concidit vel rumpitur, et epidermis antea extensa alba nunc manet et rugosa.

e) Post crustarum decessum in Zostere malum cessat, si dolorem, qui remanet, excipias; in pemphigo contra denuo vesiculae in aliis locis emergunt.

f) Zona subito et semel apparet; pemphigus paulatim, aliquot menses durat, immo vel saepe per annos.

g) Pemphigus chronicus semper est sine febre vel tunc, si multae simul vesiculae nascuntur. Zona nunquam sine motu febrili oritur.

Neque eundem, quem herpetem putaveris Zosterem; nam herpes multo minores pustulas habet, quae non adeo dolent inflammataeve sunt, nec cinguli ordinem tenent, et si quando exedens cernitur, mala ulcera, depascentia, cancrosis similia, diuturna et chronica exhibet; Zona vero acutus et plerumque brevis est morbus. Herpes ex alio in alium locum repit, nec vero Zoster; in hoc semper febris adest, nunquam in illo.

Nec silentio praetereundus est ignis sancti Antonii, pro quo Zona etiam habita est. Sed ille malum multo horribilius est. Post febris ardorem, languorem et delirium hoc malum tertio vel quarto die in glandulis subaxillaribus vel inguinalibus ut ignis prorumpit, et ad pedes usque vergens ulcus et gangraenam efficit. Est vere sicca, interdum etiam humida, gangraena. In Zostere glandulae nunquam fere afficiuntur.

A e t i o l o g i a.

Fundatam rite et doctrinalem aetiologiam per totam artem salutiferam frustra requirimus, nisi forte rebus casu concurrentibus doctrinam illam constituere velis, cui nihil aliud propositum esse potest, quam primae, ut ita dicam, morbi generationis demonstrare modum; quod quidem ad sanitatis statum referri tantum potest, physiologiam igitur puram praemittere debet, quam adhuc multo a perspecta et cognita veritate distare, et, proh dolor! humanae imbecillitati semper inaccessam esse mansuram recte dixeris. Nihilo tamen minus id moris invaluit, ut in nosologia de singularium peculiariumque formarum natura disputetur, quod tamen per

se dubium esse necesse est, atque nemini minoris aestimandum, quam artem suam exercenti medico, cui quidem soli permeabilis forsan semita ad fluctuantem illam caussam proximam esse possit. — Optandum sane esset, eo nos pervenire, ut philosophicam hanc disciplinae partem expedientes verum morbi fundamentum detegeremus, sed unquam nos insignem hunc finem esse assecuturos dubito, qui densa caligine adhuc circumdatus summorum ingeniorum acumini non est perspectus. — Qui nunc primum in eo sum, ut academia decedam, ego certe id, quod delitescit, relevare minime ausim, et practicae medicinae hoc meo opere item non profuturum me esse persuasus, designandae caussae essentiali plane renuncio, id solum narrara contentus, *Burserium* in materiae immutatione morbum hunc nostrum conatum esse collocare, quae materies non simplex, sed caustica, acris et ad putredinem esset propensa. Cui omnium minime consentiam, quod equidem non immutari simul vim, si aegrotet materies, non intelligo; et, fac ita esse, quid? si quaerimus, quae caussae et qualis receptivitas ad gignendum morbum necessariae? quomodo illarum orta est conjunctio? quomodo fiebant processus usque ad manifestum Zosterem? Quae similitudo inter hujus morbi aliorumque materiem, et quae disparitas? quae est Zosteris naturae ratio ad illam erysipelatis, herpetis ceterorumque, cum quibus confusa est? quid propriam Zonae formam determinat? num potest hanc formam mutare sub quibusdam conditionibus, et quaenam sunt hae? Quomodo praesertim se habent dyscrasiae, quae vocantur, ad Zosterem, anne, ut cum *Wichmanno* loquar, materies Zonae specifica nondum per-

fecta et alia fortasse ad classem morborum cutaneorum minime pertinentia morborum schemata potest ellicere? Quis has tales aetiologiae caligines fugabit? Neque *Lorrius*, neque *Burscrius*, nec *Wichmannus* sufficiunt.

Quae si ita sunt, non minus confiteamur necesse est, latere nos ipsam caussam praedisponentem. Non enim sexus, corporis constitutio, neque ipsa aetas diversam plane ejus reddunt rationem. Sit ita, Zosterem ante tertium aetatis annum non esse inventum, nondum eo ipso deficiens praedispositio ante hanc aetatem probata est. In summis corporum diversitatibus occurrit, et quamvis in vulnerabili, quae dicitur, frequentius reperiatur cute, quam in crassiore, hoc non perquam juvat. Porro in utroque sexu obvenit, in mente captis aeque ac in sanis.

Epidemicam Zonae, endemicam et contagiosam ejus naturam negare mihi animus est.

Occasionales adspicientem caussas item summa incertitudo offendet. Utrum erysipelatis omnes huc referre licet caussas, annon? quid iis adjungi debet ad Zonam formandam? Ad quod satis respondere non valeo. Accusant praecipue acres, salsos valde et conditos cibos et spirituosi fermentatique potus abusum, impeditamque exhalationem. An laesiones mechanicae, immundities cutis, vel admotae ei chemicae nonnullae res, an animi affectus, et forsan dispositio haereditaria influere possit, ego haud dijudicabo. Sed momenti alicujus esse videtur in Zostere perscrutando conjunctio cum dyscrasiis, praecipueque cum morbis organicis systematum digestionis.

Prognosis.

In definienda prognosi primum morbi extensitas computari meretur. Quo magis porrigitur exanthema, hoc pejus est, quoque minus est cutis affecta, eo melius res se habet. Multo magis autem examinandum periculum in intensitate vertitur, an dolores topici, pruritus, ardor, plus vel minus sint vehementer, an febris maxime sit perfecta, an gradus ejus inferior. Sunt porro compositiones et complicationes animadvertendae, quae quidem periculosae esse possunt, non vero Zonae qua tali adtribuendae sunt, cum non haec, sed dyscrasia, quae forsan adest, vel febris nervosa, vel denique laesa intestina mortem afferrent. Lethiferum Zosterem *Plinius*, *Langius* et *Brechtfeldius* tantummodo, reliqui omnes, inprimisque novi temporis medici importunum illum quidem et dolentem, minime vero periculosum putant. Nec unquam ipsa Zosteris ad gangraenam propensitas metum incussit.

Cura.

In curando Zostere primo considerandus est status aegri generalis; qui si synochicus est, adhibenda sunt remedia refrigerantia et debilitantia: aqua, serum lactis, acida, laxantia. Phlebotomia, quam *Haenius* semper adhiberi vult, raro necessaria est, nisi febris exacerbationes nimis urgent, aut post eruptionem perdurant, si pulsus frequens, plenus et durus, si respirationis officium difficile, facies rubra est, caput dolet, deliria permanent, si partes affectae nimis intumescunt, intenduntur, doloresque in iis fiunt acerbiores:

in his quidem casibus non solum venaesectio, sed totus reliquus apparatus antiplogisticus utilis est. *Burserius* ubi venaesectio periculosa aut certe inutilis videtur, hirudines et cucurbitulas commendat, quas innocuas et sape lenientes adhibuit. — Ad dolores mitigandos mitiora hypnotica et paregorica suadet, donec morbi intentio cessaverit. Obstructio alvi et hic sicut in omni morbo febrili vitanda est, optime clysmatum ope, ne, ut *Burserius* existimat, fortioribus purgantibus naturae motus impediantur, et metastasis ad partes internas sequatur.

In statu typhoso alimenta blanda, ut ovorum vitelli emulsio, juscula et lenia incitantia commendanda sunt.

Externe laudantur emollientia et mitigantia fomenta et cataplasmata decocti florum sambuci et malvae, lactis lepidi, seri lactis similiumque, quae tepida imponi debent et saepe iteranda sunt. Cum quibus pergendum, etiamsi pustulae jam sint exsiccatae, imprimis si partes affectae quodammodo adhuc rigeant. *Hoffmannus* sub finem pustulas et crustas oleo ovorum recenter expresso illinere suadet, donec decidant. Cl. *Weberus* autem, qui saepissime Zosterem observavit, in eoque tractando semper optimo gavisus est successu, topice agere improbat, cum ipse, si in gangraenam transitus imminere videretur, nunquam sine damno laudata a multis antiseptica adhiberet.

Si crustae tandem deciderunt, et morbus pene levatus est, alvum leniter ducentibus uti licet.

Theses.

1) Dentionem morbum esse nego.

2) Nulla sunt signa pathognomica certa inflammationis internae.

3) Vaccinatio omnibus jubenda est.

4) Febris puerperalis morbus est sui generis.

5) Nullum inter venenum et medicamen intercedit discrimen.